



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...

In Dominicas totius anni

Schrötter, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1688

XXXI. In Domin. II. Post Pentec. Cœperunt se singuli excusare Luc. 14. v
18. Arg. Invitatio ad convivium.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56320)


CONCIO XXXI.

IN DOMINICA II. POST PENTECOST.

Cœperunt se singuli excusare. Luc. 14. v. 18.

ARGUMENTUM.

Invitatio ad Convivium.

I.  Agni æstimatum à plerisque mensæ Magnatum accubuisse, aut ad saliales dapes invitatum esse. A. Arrogantissimus, fastuosissimusque Dux Afflueri Regis Aman posthabita magnitudine divitiarum suarum, filiorum corona, & gloria, id in cœteris de prædicat, quod ad convivium Reginae cū Rege invitatus fuerit. *Et posthac ait: Regina quoque Esther nullum alium vocavit ad convivium præter me.* Post hæc inquit, quasi his omnibus præfero dignationem Domine meæ serenissimæ, quod me epulatum unâ cum Domino meo Rege vocaverit.

Miphiboseth itidem filius Jonathæ filii Regis, accersitus ad mentam Davidis affinis sui; stupore redundante ex eo honoris intuitu plenus, exclamavit: *Quis ego sum, quod respexeris super me canem mortuum; & pulicem unum.* q. d. 2 Reg. 9. 3. Unde hic mihi honos? hæc benevolentia Domine mi Rex? Agnosco, & penso singularem favorem tuum in me, quò me indignissimum, abjectissimumque prosequeris, nec quod pro tanto munere, ac dignatione rependam, invenio. *Quis ego sum.*

Alii itidem magni ducunt vel abaco æqualium accumbere, & symposium celebrare.

Et tamen cum Rex Regum, & Dominus dominantium ad suum sollicitat convivium, ad sua gaudia invitat, prope omnes excusationis siparium prætexunt, *Cœperunt se singuli excusare.* Superi, quid est hoc? Tanti & Domini despere preces, & tam lautum denaſcere convivium? An id forsitan

de

de perfidis potius Judæis, quam de ple-
risque fidelibus intelligendum? Vel an
alios nuntios præstolantur, ut veniant?
Tentabo & legationem iterabo.

Partitio.

Neforte exorbitem in hac functio-
ne mea præteritorum Legatorum infi-
stam evangelicis vestigiis; ita ut pri-
mam conveniam Nobiles, tum opu-
lentos, tum alios.

§ I.

*Invitantur nobiles incassum ad
Epulas Christi.*

II. Magnifici, Prænobiles, Genero-
si Domini. Amicus vester optimus, ad-
dictissimusque, à quo omne bonum
vestrum dependet; & ut liquidius elo-
quar Deus, & Dominus vester per me
vos convenit, & humanissimè, aman-
tissimèque ad exiguum obsequium,
tum ad epulas solennissimas invitat,
rogatque. Scitote quoniam jam parata
& apposita sunt omnia, & sola vestra
desideratur præsentia. Quæso enixè, ne
moras nectaris, sed loti, atque expediti
vos ocius accingatis. Si fortè quispiam
vestrum tempus in alienis negotiis
protraxerit, & venire tardaverit; no-
verit oppilandam januam, nec ullis præ-
cibus deinceps reserandam. Proinde
erectus spe optima vestri adventus;
peto, quæsoque an de eo certio-
rem reddere Dominum meum debeam?
Quid responderitis?

III. *Villam emi, & vado videre illam
rogo te habe me excusatum.*

O Domine mi quid dicis, quid præ-
tendis? Numquid alii villas non habu-
erant & tamen venerunt? Numquid
villas non habuit David Rex poten-
tissimus? Numquid villæ, prædia, pos-
sessiones, deerant Ezechia, Josia, tot-
que aliis Regibus & Monarchis? Nec
destituuntur alii Principes vobis noti;
& nihilominus gratissimam habuere
invitationem Domini mei, nulla inter-
posita mora comparuere. Cur ergo tu
detrectas?

IV. *Villam emi, & vado videre illam.*

Utinam eminus, videres hæc tran-
sitoria, & ex adversum cominus super-
na; immensa ista, parva ac nulla illa ti-
bi viderentur. Quemadmodum enim,
qui elatissimi montis cacumen inha-
bitat, ea quæ in campis, & vallibus
sunt minima reputat; adeo ut multa,
quæ si in monte essent magna appare-
rent, eminus & in valle posita nec ob-
tutu quidem suo assequatur: suppari
ratione quisquis mundana tanquam
in valle miseriæ, ac mutabilitatis posita
conspexerit, minima, ac vilissima re-
putabit, si mentem in sublimi fixam
tenuerit.

*Terrena bo-
na vana.*

Fingit Menippus, Icarî præsumptu-
olus imitator, alis à se architectatis ad
orbem lunæ subvectum, & inde terre-
na respiciendo risisse hominum igno-
rantiam, de possessione agrorum glo-
riantium, pro regnotum imperio de-
certantium, & de auri, argentiq; copia
superbientium, quû tamen optimus a-
ger nõ major quâ unus Epicureus ato-
mus, & regnû non latius, quâ lens Æ-
gyptia, & locus auri, ac metallorû ferax
velut

*Lucian. de
Icaro &
Menippo.*

velut parvulum granum mīdii reputa-
retur. Quid nī & tu, & quisque alter
villas tuas rideres, ac despueres minū-
que atomo iudicares, si mentem non
fictē, sed verò ad supernas possessio-
nes, ac gaudia attolleres. Quid ergo i-
stis affigeris, & ab illis elongaris?

V. Villam emi, & vado videre illam.

Si antea non vidisti priusquam li-
citareris, atque auctonareris, profectò
desipis. Quis enim catum in sacco e-
mit, aut adamantem nunquam oculo
libatum?

*Prudentia
necessaria.*

Dicitur de fœminis, quod longos
crines nutriant, sed breve iudicium,
Ego autem ex tuo procedendi modo
assequor illas multò te esse prudentio-
res. Etenim de iis in proverbii sapien-
tissimus, veracissimusque Salomon te-
statum reliquit: *Consideravit agrum &
emit eum.* Prius lustravit omnia, prius-
quam præstinarer. Non vidit tantum,
sed herbidam istam, quam sæpe osten-
tat mundus ubertatem prætergressa,
fœcunditatem radicum penitus est ri-
mata. Neque enim mundi rosas vidit
tantum, sed quæ indenaſcuntur spinas
consideravit. Purpuram commenda-
vit, sed prodeuntes ex ea flammæ con-
spicata fastidivit. O quot agrum seu
voluptatis, seu gloriæ non emerent
prodiga salutis tuæ iactura, si erum-
pentem ex eo florem tam blandum
oculis non explorarent, sed mente di-
scuterent cras mittendum in cliba-
nam. Tu verò prius numerasti pecuni-
am, quàm aut in fundi, aut ædificii no-
titiam venires. Quid stultius agere, aut
præconcupere poteris? Ne itaque ab-
surdus exorbites, meum sequere con-
siliū, palpebræ præcedant gressus tuos in

Pr. 4. 26.

omnibus, quæ moliris, & quòd te vocat
humanitas Domini Dei tui, ne quæſo
moreis comparere.

VI. Villam emi, & vado videre illam.

O te terrenorum servum, quis ter-
rarum Dominus splendida, sed vana
appellatione nuncupari gestis. Solus is
terram possidet, qui eam calcat, solus
dominatur in terra, qui eam non in
capite, sed sub pedibus gestat, teritque.

Audisti Apostolos *constitutos esse
principes super omnem terram;* sed scito
sceptrum non prius apprehendisse,
quando relictis omnibus secuti sunt
Dominum. *Ecce nos reliquimus omnia.*
Eapropter primipili Christianæ fidei
opes suas ad pedes Apostolorum pro-
culcandas deiecere; scientes, nec se
Christum sequi posse illis gravatos; nec
regnum cœleste possessuros, nisi per
aurum calcatum, sibi gradum ad id ef-
fecissent.

VII. Villam emi, & vado videre illam.

Si Christi servus esset, utiq; non tã
augeres bona, quàm abdicares. Audi-
res utiq; clamantem. *Vade, vende omnia
quæ habes; & da pauperibus, & habebis
thesaurum in celo.* Contendens intrare
per angustâ portam, quæ ducit ad cœ-
lum; et si cameli instar oneratus iis es-
ses, priusquam jure mortis convinca-
ris, ultro tanquam pondus summè no-
xium deponeres.

VIII. Villam emi & vado videre illam.

Per Deum prospice, ne tibi eveniat,
quod illi prodigo filio, misso ad Villâ,
ut pasceret porcos, qui vixerat ut porc⁹
& cupiebat refici siliquis ipsorum, & ne-
mo illi dabat. Dignissimum enim est, ut
qui paternam nauseant mensam, ad
mercenariorum, imò belluarum ab-
sur-

Mat. 19. 21

furdisimarū amandentur. Equissimū, ut qui ambrosiam despuit, fame contabescat. Justissimum ut qui infernum vertus nidulatur; inibi, & non in cœlestibus requiescat.

Villam emi & vado videre illā. Frustra hic tempus tero, ut video. Ad alios me converto. § II.

Invitatur opulenti, nec admittunt.

IX. Vobis quoque viri opulentissimi salutem plurimam à domino meo fero, & significo gestire illum ex animo vos sibi in palatio suo habere commensales. In hunc finem struxit convivium pinguium, convivium medullatorum, & vindemiæ. In quo omnia affutura, quæ & oculos oblectent, & aures palcant, & appetitum expleant. Itaque missis aliis curis forensibus quæso ad vota Domini mei assurgite, & unā mecum ingredimini. Quid musfitatis? Quid tergum obvertitis?

X. *Juga boum emi quinque & vado probare illa, roga habe me excusatum.* Laboribus oneratus sum, quò me veritam, nescio, ignoscat Dominus, quò minus me sistam.

*Divitia ag-
gravant.* Bene habet mi amice, si justo pretio mercatus es. Fortuna æther labores tuos, & ad emolumenta optatissima provehat. Verum num bobus pejus es, quin te ad modicum à laboribus recingas, quatenus convivio vaces? Illi indulgent exantlatis laboribus quieti, ac genio; tu bestialior bestis, diu noctuque jugum trahere, molam versare non desistes? Illæ trahunt necessitate coactæ, & tu subibis incessanter propria voluntate? Modicum tibi indulge, erit tempus, quo probes, nunc Domino meo morem geras.

XI. *Juga boum emi, &c.* Quid juga emi; & quidem juga boum (loquor cū Patre mellitissimo) cui jugum suave gratis offertur; & quidem jugum hominis. Siquidem jugum Christi jugum Dei, & hominis. Nonne suavius est istud, quàm illud? Nonne pro illo mereris præmium vitæ sempiternæ, pro isto stipendium gehennæ? Cur ergo jumentum jugum eligis, & despicias Christi? Cur tuo malo mercaris tibi illud, & detrectas istud? Cur illud vadis probare, & non istud? O si periclitareris hoc paululum, sentire, quàm suave sit, & quàm leve onus ejus, sentire jugum esse non tam laboris, quàm quietis. Veritas enim sempiterna est, quæ loquitur, & nec falli, nec fallere potest. *Tollite jugum meum super vos & discite à me quia mitis sum & humilis corde, & invenietis, requiem animabus vestris.* Nunc fortè dum trahitur grave esse videtur, sed ubi depositum fuerit, senties quàm leve fuerit.

XII. *Juga boum emi, &c.* An tu de Nabuchodonosoris stirpe es, ut malis fœnum cum bobus masticare, quàm cum hominibus & Angelis Dei vesci alimonia cœlesti? Hæc quanta metamorphosis est ista, hominem tantopere degenerare à conditione sua, & comparari jumentis insipientibus, eisque assimilatum esse; nec velle sapere ea, quæ Dei sunt.

XIII. *Juga boum emi quinque & vado probare illa.* Ubinam quæso sunt illi boves tui? ubi labores tui? Pharaon Rex putabat se stare supra fluvium, de quo *Terrena fluvius ascendebat septem boves pulchra, & crassa xanimis.* Si ignoras quæ de causa ex flumine emeruisse dicantur, respondebit D. *Gen. 41. 13.*

S. Amb. 1. 2.
offic. c. 6.

Ambrosius: Ideo ascendebant de flumine, quod dies, anni, & tempora fluminis prætereunt modo, & labuntur. Temporales enim opes, ac fulgores, fulguris in morem pertranseunt, & dum affluunt, effluunt. Quod in iisdem illis bobus videre est. Vix enim obverterat vultum suam partem in aliam, cum aliæ quoque septem emergerent de eodem flumine, eaque factæ, ac confectæ macie, decoquentque priores. *Has sequebantur alia septem boves in tantum deformes & macilentæ, ut nunquam tales in terra Egypti viderim, qua devoratis, ac consumptis prioribus nullum saturitatis dedere vestigium.* Ex qua visione S. Gregorius infert; idem esse in hoc mundo, atque in æquore niti: *Quasi in aquis defluentibus fundamentum ponere est, in rebus labentibus sui fiduciam collocare.* Perinde enim ille, ac iste fluit, & ut in flumine unda undam, ita in mundo dies diem protrudit, quoad in portum æternitatis idque pernici cursu illabatur. Ergo potius mitte hæc juga, & jugum Christi assumito.

S. Greg.

XIV. *Iuga bouum emi quinque, & vado probare illa.* Vide ne si nimium boves tuos secutus fueris, ne bobus (*auff der Dörsen Post*) ad cælum pervenias, vel maturius bellicæ, utpote te præcedentes illud occupent. Non frustra inelamat Isaias: *Va qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustrum peccatum.* Væ vobis, qui juga jugis conjungitis, quatenus eò gravius trahatis. Væ vobis quia si unum jugum difficile trahitur, quomodo quinque imo quinquaginta, aut quinquagena protrahetis?

Isa. 5. 18.

XV. *Iuga bouum emi quinque.* Profe-

ctò majorem curam geris tuorum bobum, quam animæ tuæ. *Nam cuius vestrum bos, aut asinus in puteum cadit, & non continuo extrahit illum.* At cheu quoties cadit anima, quoties jacet dejecta, immensa sordibus peccati, & rides, & cachinnaris. De bobus indies sollicitaris, num pastu suo refecti; at num anima alimonia sua saginata nec quicquam pensi habes. Illos frequenter in colloquium adducis. Quippe.

Salutis in-
curia.
Luc. 14. 5.

Navita de ventis de bobus narrat arator.

Ut autem mentio aliqua fiat animæ, ad imaginem Dei conditæ, ut consulatur, ut crescat, & impinguetur, altum semper servatur silentium.

XVI. *Iuga bouum emi quinque, & vado probare illa.* Junxere boves suas Arcæ Philistini, cur tu id ipsum non præstas, cur tuos labores, & boves non impendis ad gloriam Dei promovendam? cur non ad trahendam Arcam ipsius, seu thronum ipsius. Arbitratus est Ezechiel Vates bovem unam, cum Aquila, Leone, ac homine jugatum ad esse dum gloriæ divinæ; an tu inferior, deteriorque ipsis es bobus, qui idem non exequeris? Quæso te, obtestorque si tibi consultum vis in tempore, & in omni superventura æternitate, ne te tantopere deprimas, ne tot, tantisque laboribus subicias, sed missis tot jugis criminum, unicum jugum Domini suave humeris tuis imponas.

Gloria Dei
cura.

Ezech. 6.

Iuga bouum emi quinque, & vado probare illa, rogo te habe me excusatum. Frustra, ah frustra & hic verba profundo. Ubi animus mancipatus est inferioribus

bus servitiis, ibi nec auris altioris domini auscultat edicta. Ubi appetitus corruptior fœnum ut bos appetit, aut ad alia, & pepones anhelat, ibi in casum manna nausanti stomacho obtruditur. Fastidit cœlestia, quisque nimis avidè, avarèque prehensat terrestria. Nec pollet vel oculis versare cœlum, quisquis manibus, animoque volutat cœnum.

§. III.

Invitantur Coniugati, & abnuunt.

XVII. Jam ergo ad vos omnes superstitites me converto, vosque certiores reddo, Patrem æternum, pro ea, qua jam ab orbe condito in vos erat benevolentia cœnam magnam apparasse in cœli regia, ad eandemque vos universos gratiosissimè evocare. Quæso vos, obtestorque per salutem animæ vestræ, per quiddam sacrum, ac sanctum est, per amorem Domini Dei vestri, ne vos subtrahatis, aut moras ulla futile interponatis. Quoniam certò certius id vobis sciendum est, neminem, qui hanc cœnam spreverit, gustaturum illam in æternum. Venite ergo, quia parata sunt omnia. Quid audio?

XVIII. *Vxorem duxi, & ideo non possum venire.* O nefas! ô malum! Tu non potes venire propter uxorem? Numquid te vinculis adstrictum tenet, quò minus te movere queas? Numquid uxorem Dalilam nactus es, quæ te Samsonem innexuit, rasisque crimen fortitudinis tuæ? Numquid tam terribilis est, ut castrorum acies ordinata? Numquid equitatu Pharaonis assimilata? Numquid Jezabelem tibi jugasti, quæ

te ad omnia mala incitet? Numquid cor tuum quemadmodum Salomonis averterunt mulieres à Deo, ut sequaris Deos alienos? Numquid ostiarium duxisti, quæ Petro lapidi electo fuit petra scandali? An ut Socrates Xantippen litigiosâ sortitus es, aut omnino in ea Medusam possedisti? *Omnis enim (loquor cum Stobæo) qui uxorem ducit, una aut bonum, aut contrarium dæmonem inducit.* Stob. ser. 69.

Meliora ego de tua uxore suppono, forsitan illa ingressura convivium, tu excluderis. Implebitur fors oraculum illud in vobis: *Erant duo in lecto uno, unus assumetur, & alter relinquetur.* Luc. 13. 34. Num te later quidnam evenerit illi marito indies mittenti uxorem ad sacram ædem, epulasque divinas; & se semper subducenti. Ominabatur ille præcaturam pro utroque, & utrique regnum impetraturam; sed heu nimium falsus est. Vidit enim illam Angelorum choris stipatam ad cœlestes delicias deduci, se verò excludi, ac exturbari. Cumque vociferaretur pro me quoque oravit, audiit; & pro te etiam intravit. Ergo ne repellaris in fine, nunc te siste, & me, & illam comitator. *Vxorem duxi.*

XIX. Renuit illa forsitan? Accipe tecum, trahere illam post te, & si illa sinistra tenuerit, tu dexteram prehende. Assimilare sponso trahentis sponsam in odorem unguentorum suorum. Vel si tam chara, aut tam enervis, cum eodem succolla illam, & innitatur brachio tuo. Nihil tam durum, atque inflexile in muliere est, quod vel exemplo bono, vel amoris incendio liquari, atque inflecti nequeat.

XIX. *Vxorem duxi & non possum venire.* Apparet te nepotem Adæ esse, qui cum prævaricatus esset legem Domini, quam tulerat de non comedendo fructu scientiæ boni & mali, culpam in consortem regeffit: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Tu autem cum tibi iterato epulum apponitur, oculos rursus in uxorem detorques; ut ab illa dependere videaris, aut in illam nequitiam tuam derivare. Sed scito, quam parum profuit Adæ excusatio sua, tam parum tibi profuturam tuam, ut ille ex paradiso terrestri, ita nisi acquiescas consiliis meis, ex cælesti proturbaberis.

XX. *Vxorem duxi & ideo non possum venire.* Vide quæso ne à vero aberres. Mulier enim tibi data in adiutorium non in ruinam. Nonne S. Monica effrum edomuit maritum, & ad Christum adduxit? Nonne Cæcilia Valerianum, & Tiburtium Christo captivavit? Nonne Theodora Silinium Deo lucrata est? Nonne Clotildis Chlodovæum Galliarum primum Regem Christianum precibus, & exemplo vitæ, ac sanitatis reddidit? Nonne Theodolinda Longobardorum Regina duos suos maritos, Domitia Consulem, Romanum, Flavius Domitiani Imperatoris patrualem convertit? Nonne illa Samaritana prope totam civitatem de Christi Domini divinitate edocuit? Non ergo illi crimini dandum erit, sed tibi nisi comparueris, & votis Domini tui responderis.

XXI. *Vxorem duxi.* Vide ne degeneres olearum, quæ invitata ad regnum repoluit: *Quomodo possum deserere pinguedinem meam? Aut de stemmate*

ficuum, quæ itidem postulata a tridentem, abnuit dicens: *Quomodo possum deserere dulcedinem meam?* Aut de propagine vitis, quæ in eandem sententiam oblatum sibi sceptrum repudiavit: *Quomodo possum deserere vinum meum?* Uxor tua vinum tuum, de qua Psaltes: *Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ;* sed time ne Rhamnus contra te exardescat, & devoret te. Time, quia qui amat patrem, aut matrem, aut filium, aut uxorem plusquam me (id est Deum) non est eo dignus. Et si quis venit ad eum, & non odit patrem & matrem, uxorem, & filios, non potest ejus esse discipulus. Time, quia: *Ecce servi mei comedent dicit Dominus, & vos esurietis; ecce servi mei bibent & vos sitietis; ecce servi mei latibuntur, & vos confundemini.* Time, quia nemo virorum istorum, qui vocati sunt (& venire renuerunt) gustabit carnem illius. Nemo sibi illas delicias promittat æternas, qui totus est effusus, & immersus transitoriis voluptatibus. Nemo sibi opes præcænat, & thesauros indeficientes in cælo, quem lucra temporalia avocant à lege Domini piè servanda. Nemo sibi polliceatur regnum præparatum justis ab origine mundi, qui per superbiam aliud sibi architectatur in limo profundi.

Si illæ castissimæ virgines exclusæ sunt, quæ oleo destitutæ paululum tardarunt, quanto amplius illi, & illæ prostitutæ, quæ omnino contemnunt. Si pauper ille ejectus ob defectum vestis nuptialis, quanto justius divites & opulenti ob rapinam bonorum alienorum, ob oppressionem pauperum, ob avaritiam suam, Si Vasthi regina so-

Ibid.

Ps. 127. 3.

Matth. 10. v. 30.

Isa. 65. v. 13.

Matth. 25

Ibid. 9. 9.

lio

